



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Locato & Conducto. Consilium CCCXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

que cum pro parte Appellatorum non sit deductum aut allegatum quæ & quanta fuerint, aut sint illa onera; nondum dici potest manifestè probata læsio: potissimum propter incertitudinem pretij ac mercedis supra deductam, cuius augmentum pro huiusmodi oneribus intelligi & præsumi deberet. Ne tamen hic ulterius hæreamus, aperte satis constat Petri locationem factam fuisse sub modo & conditione ferendorum onerum, quæ priores conductores aliquando subferunt. Expresse enim dictum fuit in contractu Petri, quod ita haberet conductas has decimas, sicut antea Ioannes Wirrans, & Georgius Keskens eas habuerunt. Vnde cum relatum sit in referente, *l. Affertoto de hered. instit. Authen. Si quis in aliquo C. De eundo*, & per dicta duo instrumenta ab Appellatis exhibita, constet eisdem eâ lege conduxisse, sequitur Petrum quoque sic conduxisse. In cuius confirmationem facit, quod Rea in executionem huiusmodi obligationis subeundorum onerum, obtulit in prima instantia Domino Abbati cautionem de intertenenda campana, & candelis Ecclesiæ; quæ quantum conjecturâ assequi potuimus, onera sunt dictarum decimarum in cæteris alioqui liberarum. † Præsumitur enim unaquæque res libera, donec onus aut servitus ex adverso probetur, *l. Alius & ibid. gloss. 1. C. De servit. & aqua*: quod hic per Appellatos probatum non est. Cum ergo hæc locatio sit legitimè contracta, & Monasterio utilis, aut saltem nullam illius evidentem aut enormem læsionem, de qua constet, contineat; concludendum est remedio restitutionis in integrum rescindi non posse. Atque ob id Domini Officialis sententiam prorsus esse iniquam; utpote contra ius constitutionis, & partis, nullis læsionis allatis probationibus latam: ideoque per Dominum Iudicem appellationis revocandam.

† Et quia Appellans in omnibus & per omnia ¹⁸ legi contractus paruit, offerendo & realiter præstando cautionem pro solvenda mercede, aliisque faciendis, ad quæ ex lege contractus tenebatur; liqueatque supradictis evidenter Dominum Abbatem & Conventum ad huius contractus observationem teneri; partes Domini Iudicis erunt, ut declarat contractum validum esse, & Appellatos ad illius observationem teneri; per solutionem scilicet interesse pro annis duobus præteritis, & præstationem patientiæ utendi fruendi iisdem decimis, pro reliquis septem annis futuris, *l. Ex conducto, l. Si in lege §. si colonus D. Locati*, aut saltem si hoc Appellans elegerit ad solutionem interesse pro iisdem annis; † Non obstante, quod alijs decimatoribus hæc decimæ sint locatæ, & earum occupatio illis tradita: quia illa traditio & occupatio facta est per viam attentatorum, & spoliationis in præjudicium litispendentiæ; attentâ possessione Appellantis priore in prima instantia allegatâ, & per partem appellatam per taciturnitatem satis agnitâ post decretum D. Officialis de respondendo ad huiusmodi possessionis allegationem; cui Appellatorum syndicus contumaciter non paruit, *l. De arate §. qui tacuit De interrogat. actio. Ita ut tam ratione prioritatis contractus, quam traditionis, alijs decimatoribus conducentibus Appellans censeri debeat potior, l. Quoties*.

De rei vindic. l. In operis D. Locati. † Et eâ possessione cessante, adhuc debet appellans esse potior: ob id, quod ea, quæ de prioritare tradita possessionis traduntur, in d. l. Quoties, cessent in contractibus Ecclesiasticarum personarum; quæ amplius fidem exhibere, & à deceptionibus abstinere debent, ut eleganter tradit Iason, in d. l. Quoties nu. 9. Novissimè quia ex iisdem actis citra novam aliquis peremptoriæ allegationis deductionem, hæc secunda sententia ferenda venit, & secundum ea, quæ supra diximus, literæ inhibitoriales per Appellatos sunt revocandæ ac cessandæ; & eisdem Appellatis ad huius contractus observationem condemnandi: Officium quoque Domini erit, eisdem Appellatis condemnare in omnibus expensis tam primæ, quam secundæ instantiarum: ob notoriam, & ex actis relucentem eorum iniquitatem, ut notat Guido Papa. decis. 137.

De Locato & Conducto.

S V M M A R I V M.

Colono an stare teneatur successor singularis.

CONSILIVM CCCXXV.

Est suprà consil. CCCXIII. ideoque hic omisum.

De Locato & Conducto.

S V M M A R I V M.

Successor in beneficio an locationi prædecessoris suo stare debeat.

1. Colono an stare debeat prædicti successor.
2. Prælati locare possunt ad modicum tempus.
3. Nemo de iure debet beneficio Canonis.
4. Prælati & canones in agis similis est quam usufructu.
5. Beneficij simplex usufructu similis est.
6. Prioratus regularis simplex beneficium est.
7. Conventum qui & quot constituent.
8. Vicarius temporalis a perpetuo distat.
9. Coadiutoris consensus an requiratur in beneficij relatione.
10. Coadiutoria cum futura successione iure exorbitat.
11. Ecclesia pro annuo canone an locari possit.
12. Vicaria beneficij conduci non possunt.

CONSILIVM CCCXXVI.

PERPLEXAM satis quæstionem Iuris habet facti species proposita per Dominum Priorem Prioratus S. Prejecti prope & extra muros Oppidi Bethuniensis; † ideo quod communi opinione receptum sit, *DD. in c. fin. Ne Prælat. vic. sum & c. successorem Prælati*, seu ejus, qui administrationem habet, stare debere colono prædecessoris: cum sit universalis successor; qui ideo favorabiliter prosequi debet, quos novit suo prædecessori fideliter paruisse, *c. Hæc huius placiti xii. q. 2. Imol. in d. c. fin.* * Permissum namque est ² Abbatibus & Prioribus Regularibus locare ad modicum tempus, *Clem. Monasterium de reb. Eccles. non alien.* Ex quo hoc quoque consequitur, quod si pendente locatione moriatur locator, successor ejus teneatur, quod reliquum est temporis conductori indulgere, ac permittere: † ne ³ qui fiducia canonis cum Ecclesiastica perso-

na con-